

perfectam naturæ integritatem, et ita illam confundunt cum originali justitia, quod pertinet tantum ad usum vocum, vel quia in ordine ad potestatem moralem operandi bonum, eadem videtur esse ratio utriusque status, quod magis pertinet ad rem ipsam, et ideo amplius declarandum est. Nam imprimis sicut status naturæ integræ præcise spectatus non includit necessario ordinem ad finem supernaturalem, ita neque status originalis justitiæ: posset enim Deus omnia dicta privilegia conferre homini non elevato ad supernaturalem finem, ut per se notum videtur. Deinde, sicut in natura integra non posset homo efficere supernaturales actus sine gratia superioris ordinis, ita neque in statu originalis justitiæ, ut docent theologi, divus Thomas supra, et alii cum Magistro in secunda, distinctione vigesima-nona, capite primo, et in sequentibus videbimus.

10. *Moralis potestatis in utroque statu adhuc quasi identitas declaratur.* — Et eadem ratione, sicut potest esse homo integer dicto modo sine gratia sanctificante, ita etiam potest esse in statu innocentiae seu originalis justitiæ. Imo ita de facto fuisse censuerunt theologi allegati capite quinto; decepti tamen sunt, quia si integritas naturæ sine gratia sanctificante communicata non est, ut ostendimus, multo minus originalis justitia, cum hæc non detur sine integritate naturæ. Denique, sicut homo in natura integra potest bene moraliter operari, cavendo omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia collective, ita idem potest in originali justitia. Quanquam in hoc potest constitui aliqua differentia; tum secundum majorem aut minorem facilitatem; nam hæc videtur esse major in homine habente omnia privilegia justitiæ originalis, quia ex parte intellectus et corporis est melius dispositus, ut ex dictis constat: tum secundum quemdam ordinem, quia homo in solo statu integræ naturæ existens posset prius venialiter peccare, quam mortaliter, quia nihil haberet quod illum impediret præternaturaliter, et ex natura rei id non repugnat, et ita posset facilius peccare; homo vero in originali justitia constitutus, non posset prius venialiter peccare quam mortaliter, ut supponitur ex speciali dono, et ideo facilius etiam posset non inchoare peccatum. Propter hæc ergo dixi esse inter hos status parvam, aut nullam differentiam quoad moralem potestatem, et ob eandem causam in sequentibus de illis ut de uno loquemur, quia in ordine ad absolu-

tam gratiæ necessitatem, eandem rationem induunt.

CAPUT IV.

QUALIS SIT GRATIÆ STATUS, ET QUOMODO CUM ALIIS CONJUNGI VEL AB EIS SEPARARI POSSIT?

1. *Duo gratiæ status, extrinsecus et intrinsecus.* — Status gratiæ duobus modis accipitur. Primo large, quatenus naturæ addit solam ordinationem ad gratiam internam, seu ad finem ejus, per sufficientia media, divina providentia præparata: nam hæc ordinatio gratiæ quædam est, et supernaturale beneficium ratione finis supernaturalis. Est autem gratia extrinseca tantum, quia per se nihil formaliter in homine ponit, licet radix omnis gratiæ intrinsecæ dici possit. Alio autem modo magis proprio dicitur status gratiæ, ille qui per intrinsecam formam inhærentem personæ et sanctificantem illam constituitur. Priori modo impropriissime dicitur ille status gratiæ, quia secundum illum loquendi modum diceretur esse in statu gratiæ, etiam homo ille qui est in peccato, si ordinatus est ad supernaturalem finem, quod tamen non est in usu, quia status ille solum dicit extrinsecam ordinationem generalem Dei, et non petit intrinsecam formam, vel perfectionem personæ, quæ ad bene operandum vires præbeat. Proprius autem gratiæ status intrinsecam formam requirit, quam per antonomasiam gratiam sanctificantem appellamus, cum donis quæ illam consequuntur, de quibus postea dicemus: sed licet hoc verum sit, nihilominus illa duo membra quasi per analogiam distinguimus, ut proposita quæstio plene possit explicari.

2. *Improprius status cum statu puræ omnino naturæ compatibilis non est, bene tamen cum statu viæ.* — Comparando igitur priorem modum status ad alios supra numeratos, imprimis inveniemus eum omnibus conjungi posse, præterquam cum natura omnino pura. Dixi omnino puram, quia potest esse pura ab integritate, et a justitia originali, et donis supernaturalibus gratiæ, et a culpa, et nihilominus esse ordinata ad finem supernaturalem per alia media, seu auxilia divinitus præparata, licet nondum sint collata, quia in hoc nulla est repugnantia. De facto autem nunquam ita inventa est, ut ex dictis facile constare potest, et magis ex sequentibus patebit. At vero in aliis omnibus statibus humanæ naturæ inveniri potest hæc elevatio, et de

facto invenitur in statu viæ. Quia et homo in natura integra ordinatus fuit ad illum finem, et post lapsum non amisit illam habitudinem, et ideo medium redemptionis, quo posset, non obstante communi lapsu, finem illum consequi, Deus illi misericorditer providit. Et inde est, ut dicebam, ut homo lapsus, etiam dum jacet sub peccato, illum statum retineat, quia semper potest comparare gratiam, quamdiu in hac vita durat. Deinde manifestum ex dictis est puram naturam separabilem esse ab hoc statu, quia potuit ad supernaturalem finem non ordinari, ut satis in capite tertio probatum est. An vero idem dicendum sit de natura integra, vel in originali justitia constituta, videndum superest.

3. *Prima sententia affirmans statum gratiæ debitum statui naturæ integræ.* — In hoc enim puncto aliam invenio Michaelis Baii propositionem, ordine 21, in qua sic inquit: *Humanæ naturæ exaltatio et sublimatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis*, ubi manifeste sentit naturæ integræ debitum esse statum gratiæ, ac proinde non potuisse ab illo, saltem secundum legem ordinariam, separari. Fundamentum autem quo ductus fuerit, apud ipsum non legi, quia nec ejus opera videre potui, nec ab aliis refertur. Quare suspicor auctorem illum sensisse gratiam esse humanæ naturæ debitam, si per aliquod peccatum non impediatur: unde per integritatem primæ conditionis nihil aliud intellexisse videtur, quam naturæ innocentiam, cui sensit esse connaturalem elevationem ad divinæ naturæ consortium. Potest etiam pro hac opinione adduci D. Thomas, 1 part., quæst. 93, art. 1, ubi probat hominem primum fuisse in gratia creatum, quia per gratiam subdebatur superior voluntas Deo, et inferior appetitus superiori, in qua subjectione integritas naturæ consistit. Nam hinc sequitur integritatem illam fuisse effectum gratiæ, ac subinde non posse ab illa separari. Est tamen discrimen, quia juxta hanc sententiam divi Thomæ non erit gratia debita integritati naturæ, ut Baius dicebat, sed potius integritas erit debita gratiæ in ipsa naturæ institutione eidem collatæ. Utroque autem modo sequi videtur statum integræ naturæ non esse separabilem a statu gratiæ.

4. *Opposita et vera sententia.* — Nihilominus contraria sententia omnino vera et certa est, quæ sumitur ex doctoribus præcedenti

capite allegatis, præsertimque ex Cajetano et modernis, in 1. 2, question. 109, in princip.; et ex Alense, et aliis quos statim referam. Ad illam igitur explicandam, statuo imprimis statum integræ naturæ, vel originalis justitiæ, ut supra explicatus est, per se non ordinare vel sublevare hominem ultra naturalem finem, sed solum addere donum liberaliter datum ultra totum naturæ debitum, conferens rectitudinem quamdam in ordine ad honestatem, et consummatam perfectionem naturalem. Hæc assertio communis est apud auctores allegatos et statim referendos, et quoad utramque partem facile potest ex dictis probari. Ratio ergo prioris partis est, quia per hoc donum solum subvenitur illi imperfectioni et infirmitati, quæ nascitur ex naturali inclinatione appetitus sentientis, et ex naturali modo cognoscendi hominis, incipiendo a sensibilibus objectis, quæ naturaliter movent sentientem appetitum, et ex aliis corporis defectibus; sed tota hæc imperfectio potest impediri, sanari, ac componi sine ordinatione hominis ad finem supernaturalem: ergo integritas naturæ, per se ac præcise spectata, non includit illam ordinationem. In hoc ergo convenit status naturæ integræ præcise sumptus cum statu puræ naturæ, quod uterque includit debitum ordinem ad Deum, ut finem naturalem, neuterque eorum ordinationem hominis ad ulteriorem finem requirit.

5. *Status gratiæ intrinsecam habitudinem ad Deum dicit, secus naturæ integræ.* — Et hinc infertur statum integræ naturæ distinctum esse a proprio statu gratiæ, et separabilem ab illo. Probatur, quia status gratiæ intrinsece includit habitudinem ad Deum, ut supernaturalem finem: imo et proportionem intrinsecam connaturalem ad visionem ejus: sed status naturæ integræ per se non postulat illam habitudinem, nedum intrinsecam proportionem: ergo non requirit statum gratiæ: unde etiam constat esse separabilem ab illo, quia est inferioris ordinis, et non est unde habeat talem connexionem cum statu superioris ordinis. Adde statum gratiæ posse separari ab statu integræ naturæ, ut patet in hominibus justis, qui sunt in hoc statu naturæ lapsæ. Eademque, vel majori ratione, potuisset Deus, si voluisset, creare hominem innocentem, et in statu gratiæ, et sine integritate naturæ, id est, cum fomite et concupiscentia naturali, non pœnali, quia perfectio gratiæ per se non requirit illam integritatem, tum quia est diversi ordinis et rationis, tum

quia in homine ex Adamo genito sine illa invenitur. Nec etiam imperfectio fomitis necessario supponit culpam aut carentiam gratiæ, sed, ut naturalis proprietas, relinqui a principio posset in homine justo. Totum ergo hoc pendet ex libera Dei voluntate ac dispositione; ergo a fortiori e contrario separari potest status naturæ integræ a statu gratiæ.

6. *Quid non vere nonnulli senserint.* — *Veritas.* — Quin potius de facto separatum fuisse in Adamo in initio suæ creationis multi theologo docuerunt, ut Alens., 2 part., quæst. 91, memb. 1, art. 3, et 4 part., quæst. 4, membr. 7, artic. 3, ad argumenta; Altisiodor., lib. 2 Summæ, cap. 3, quæst. 2; Bonavent., in 2, distinct. 29, art. 2, quæst. 2, et ibi Scot., et Marsil., in 2, quæst. 16, artic. 6. Hugo autem Victor., lib. 1 de Sacrament., part. 6, cap. 17, in fine, rem dubiam esse censet, etiam de toto tempore illius status ante peccatum Adæ, licet in cap. 10 aperte dixisset Adam in primo statu habuisse charitatem. Quod est omnino certum, ut supra dixi. Unde etiam multo probabilius est a principio fuisse conjunctos illos status naturæ integræ et gratiæ, quia nulla est necessaria mora, et quia hoc magis decet divinam liberalitatem, et quia ipsa integritas naturæ propter faciliorem gratiæ custodiam data est, et quia omnia quæ Scriptura dicit de creatione primi hominis magis huic parti favent, ut tradit D. Thomas 1 part., quæst. 95, ubi de hoc latius. Et ita etiam sentiunt Hieronym., lib. 1 contra Jovin.; Augustin., 4 de Civitat., cap. 11 et 27, et lib. de Correctione et grat., cap. 10.

7. *Dupliciter lapsio Baii respondetur.* — Ad fundamentum autem quod Baium insinuare diximus, respondemus imprimis falsum esse naturam integram ultra naturalem perfectionem humanæ naturæ nihil addere, nisi carentiam culpæ, seu innocentiam; hanc enim habere potest etiam pura natura: integra vero addit speciale donum continens inferiorem appetitum sub superiori, ut declaratum est. Deinde dico falsum etiam esse, naturæ humanæ innocenti, sive integræ, sive non integræ, deberi sublimationem in consortium divinæ naturæ: nam hæc est mera gratia longe altioris ordinis, quæ mere gratis, et ultra omne naturæ debitum data est, et ideo nec naturalis dici potest, nec habere connexionem connaturalitatis, ut sic dicam, cum ipsa natura, quantumcumque intra suum ordinem immaculata seu perfecta sit. Ad D. Thomam capite sequenti respondebimus.

CAPUT V.

AN STATUS GRATIÆ ET ORIGINALIS JUSTITIÆ PER EANDEM FORMAM CONSTITUANTUR, AC SUBINDE QUOMODO SEPARARI POSSINT?

1. *Dubitandi ratio sumitur ex dicitur Thoma.* — Huic quæstioni occasionem nobis præbuit divus Thomas supra allegatus, in 1 part., quæst. 95, art. 1, ubi sentit rectitudinem status originalis justitiæ fuisse gratiæ sanctificantis effectum. Nam hæc gratia est forma proprium gratiæ statum formaliter conferens; ergo una est, eademque forma utrumque illum statum constituens: quomodo ergo poterunt inter se separari, cum forma non possit suo adæquato effectu carere? Quam difficultatem attingens Soto, libr. 1 de Natura et gratia, cap. 5, in eam inclinat sententiam, quæ affirmat gratiam non distingui a justitia originali, ac subinde ipsammet gratiam sanctificantem formaliter contulisse primo homini integritatem naturæ. Ex quo plane sequitur eandem esse utriusque status formam, solumque differre, quia gratia quando dabit naturæ integritatem, erat *robustior et fortior* (ut ait) quam nunc sit, quando solum confert sanctitatem sine integritate.

2. *Impugnatur Soto.* — Hæc vero sententia (nisi fortasse abutur vocibus in significatione neque usitata, neque ab auctore suo declarata) intelligi sane non potest; quia effectus formalis formæ, neque impeditur, neque variatur, manente eadem forma informante subjectum. Cum ergo gratia nunc sit in nobis, totumque suum formalem effectum nobis conferat, et non det integritatem, profecto nunquam potuit illam formaliter dare. Neque verba illa *robustior* aut *fortior* possunt aliquid significare formaliter existens in gratia primi hominis, ratione ejus potuerit formaliter conferre illum effectum. Nam in simplici qualitate, qualis est gratia sanctificans, intelligi non potest alius vigor nisi intensio, neque aliud robur intrinsicum, nisi quod nascitur ex majori intensio et radicatione in subjecto; sola autem major intensio non sufficit ad illum effectum formalem, ut constat. Eo vel maxime quod gratia sæpe intensior est in homine nunc lapsio, quam fuerit in primo homine ante peccatum, juxta illud: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Declaratur tandem, quia vel loquimur de gratia prout præcise est in essentia

animæ, et sic impossibile est ut formaliter det integritatem: nam hæc integritas formaliter est in potentiis, seu ad illas pertinet: gratia vero, ut sic spectata, totum suum formalem effectum habet in sola animæ essentia, quia ibi inhæret, et consequenter totam entitatem suam ibi habet collocatam. Vel loquimur de gratia, prout includit habitus infusus operativos, et ab illa manantes, et sic etiam integritatem dare non potest, etiamsi illi habitus in potentiis sint: quia illi habitus solum elevant potentias ad novum genus operationum superantium totum ordinem naturæ. Et inde est ut nunc etiam in nobis tales habitus, licet interdum sint valde intensi, formaliter non dimittant appetitus passionem, ut nunc suppono: ergo multo minus poterunt formaliter dare naturæ integritatem.

3. *Gratiæ status est basis cui aliquid addit integræ naturæ status, quod declaratur et probatur.* — Vera igitur sententia est, statum gratiæ secundum legem Dei ordinariam comparari ad statum innocentiam, seu integræ naturæ, tanquam fundamentum ejus, statum vero innocentiam formaliter aliquid addere ultra statum gratiæ, quod per se ac formaliter in hoc non includitur, nec per dona gratiæ sanctificantis confertur. Hanc sententiam sumo ex D. Thoma, 1 part., quæst. 100, artic. 1, ad 2, et 1 p., quæst. 2, artic. 2; et Cajetan., 1 part., quæst. 95, art. 1, ubi hoc modo intelligit D. Thomam, ibi, qui in eodem sensu exponendus est ubique de hac materia loquitur, ut in prima parte, quæst. 97, et 1. 2, quæst. 83, et in 2, distinct. 32. Et declaratur breviter, nam licet integritas naturæ formaliter consistat in aliqua perfectione quam gratia formaliter non confert, nihilominus Deus non dedit perfectionem illam alicui homini, nisi justo et sibi grato, ut inductione constat, juxta superius dicta, tam in primis parentibus, quam in Christi humanitate, et B. Virgine. Non legimus enim nec credimus donum illud communicatum esse alteri homini viatori; omnes autem illi cum dono illo sanctificantem acceperunt: ergo signum est, ex lege ordinaria, seu definita Dei providentia, hæc duo habere aliquam connexionem inter se: ergo oportet intelligere gratiam esse aliquo modo fundamentum alterius status, seu perfectionis. Probatur hæc ultima consequentia: primo, quia recta naturæ constitutio postulat ut prima ejus institutio et ordinatio sit in finem ultimum et supremum; talis autem ordinatio respectu finis superna-

turalis, propter quem natura humana instituta est, per gratiam perficitur, et intrinsece constituitur: ergo inter omnes perfectiones superantes naturam, quas Deus homini contulit in sua creatione, gratia fuit tanquam fundamentum cæterarum. Confirmatur, nam juxta doctrinam Augustini et D. Thomæ in statu innocentiam hic ordo constitutus est, ut pars inferior esset per eam subjecta superiori, et superior Deo, ita ut non posset inferior insurgere contra superiorem, nisi hæc avertetur a Deo: ergo primum fundamentum illius status, et a quo omnia pendebant, erat perfecta conversio et subjectio ad Deum: hæc autem fit per gratiam: ergo illa erat fundamentum reliquorum. Denique illa integritas data non est tanquam debita naturæ: ergo data est ut gratiæ inserviret, et naturam illi perfecte obedientem redderet: ergo.

4. *Originalis justitiæ gratia fundamentum est, sed non ex necessitate.* — Unde ebiter intelligitur non dici gratiam fundamentum originalis justitiæ, quantum ad propriam perfectionem suam, vel quia talis perfectio physice resultet ex gratia, vel quia ei connaturaliter debeatur. Nam licet utrumque horum de habitibus per se infasis sentiri possit probabiliter, non vero de illa naturæ perfectione, quia est diversi ordinis, solumque ob indigentiam subjecti simul data est cum gratia. Et ideo in angelis non habuit locum, quamvis in eis gratia cum omnibus proprietatibus sibi connaturalibus perfecta fuerit. Dicitur ergo fundamentum originalis justitiæ, vel integritatis naturæ, quia secundum convenientem ordinem supernaturalis providentiæ divinæ illo modo dari debuit, ut satis explicatum manet: unde gratia respectu originalis justitiæ dici potest fundamentum non necessitatis, sed congruitatis. Nam licet humana natura non esset per gratiam ad consortium divinæ naturæ sublimata, nec subjecta Deo, ut fini supernaturali, nihilominus esse posset recte ordinata et subjecta Deo, ut auctori et fini naturali, quæ subordinatio satis esset ut naturæ integritas et immunitas a corporis defectibus ei addi posset. Nunc vero, quia ad ulteriorem finem creata est, debuit primo conjungi per gratiam, ut huic tanquam primo fundamento omnis alia perfectio adderetur.

5. *Secunda assertionis pars probatur.* — Atque hinc facile patet altera pars assertionis, nimirum, statum innocentiam addidisse perfectionem formaliter distinctam a gratia, quod satis etiam probant quæ contra Sotum dixi-

mus. Ab effectu etiam id patet, et optime declaratur, quia in nobis est gratia sine illa perfectione, quam addebat originalis justitia, quia nimirum fundamentum interdum esse potest sine superaddita perfectione. Id autem in nobis contingit, non quia dona Dei sint cum poenitentia, sed quia illa est justa poena originalis peccati; Deus enim non nisi innocentibus perfectionem illam communicare justissime decrevit.

6. *Solvitur ratio dubitandi cum altera quaestione.* — Ex quo facile expeditur ratio dubitandi supra tacta, et resolvitur alia quaestio, quæ solet fuse tractari, et videtur esse de nomine, an justitia originalis includeret formaliter gratiam. Duobus enim modis potest accipi originalis justitia. Primo, ut includebat totam rectitudinem hominis, et in se, quoad omnes potentias et partes suas, et in ordine ad Deum, ut finem ultimum cujuscumque ordinis, et hoc modo sine dubio justitia includebat gratiam, tanquam basim et radicem omnium illorum bonorum. Alio vero modo sumi potest justitia originalis præcise pro illa integritate seu perfectione, quam addebat ultra gratiam, et sic clarum est non includere illam formaliter, sed fundari in illa, ex ordinatione divina potius quam ex intrinseca rei natura. Unde fit consequens idem esse dicendum de omnibus donis et virtutibus per se infusis, quæ gratiam sanctificantem consequuntur tanquam proprietates ejus, elevantes potentias hominis ad finem et actus superioris ordinis; quam elevationem, ut dixi, status naturæ integræ per se et intrinsece non requirit: ergo nec justitia originalis formaliter includit hos habitus, vel eorum aliquem. Et hoc modo locuti sumus de hac justitia capite præcedenti, et loquemur in sequentibus, sicut etiam videtur loqui D. Thomas, quoties declarat quid possit natura integra absque gratia. Et idem sentit Cajetanus, prima parte, quæst. 95, art. 1.

7. *Justitia originalis latius, non stricte, appellatur gratia.* — Jam vero solum erit de nomine quaestio, an justitia originalis dicenda sit gratia, necne? Unde dicendum est breviter hoc donum per se non esse gratiam simpliciter dictam, prout dicit ordinem ad gloriam, seu supernaturalem sanctificationem, latius vero posse dici gratiam, id est, gratuitum donum non debitum naturæ. An vero hoc donum consisteret in aliquo habitu per accidens infuso, vel in qualitate aliqua inherente habente virtutem præternaturalem continendi appeti-

tum, vel solum in speciali protectione Dei, vel multa ex his includeret, in prima parte, tractatu de Statu innocent., dictum est.

8. *Convenientia puræ, et integræ naturæ status.* — Unde tandem infero homines, in statu integræ vel puræ naturæ, convenire in necessitate et indigentia gratiæ ad efficiendos actus supernaturales, non solum collective, sed etiam distributive, id est, quoad singulos, quia in neutro statu includit vires supernaturales, nec per se postulat principium intrinsecum supernaturalium actuum, nec auxilium aut providentiam ordinis supernaturalis. Ulterius etiam conveniunt illi duo status in æqualitate virium per se ad efficiendos quoscumque actus bonos ordinis naturalis, quia facultates intrinsecæ et per se seu physice requisitæ ad hujusmodi actus, sunt eadem in utroque statu. Nam integritas naturæ non addit novam naturalem facultatem, sed ad summum facilitatem utendi facultate naturali, et ablationem aliquorum impedimentorum. Ex quo non sequitur augmentum potestatis per se, et quasi physice in operando, sed tantum sequitur major potestas per accidens per ablationem impedimentorum, quæ moraliter esse potest absolute major ad constantius et perseverantius operandum, ut in sequenti libro latius explicabitur.

9. *Quæstio, et pars affirmans proponitur.* — Unde occurrebat statim hic quaestio, an saltem gratia adjuvans ab bene operandum moraliter, sit necessario conjuncta cum statu justitiæ originalis, seu integræ naturæ. Theologi enim, qui docent naturam intellectualem, eo ipso quod libera est, et prævia cogitatione honesta et congrua indiget ad recte operandum, indigere auxilio speciali divinæ gratiæ ad singulas operationes honestas recte efficiendas, si consentaneæ ad naturalem conditionem talis naturæ, et ad perfectionem divinæ providentiæ loqui velint, fateri profecto debent non potuisse naturam humanam, sive integram, sive integritate carentem, creari modo connaturali, nisi sub providentiâ gratiæ auxiliantis, etiamsi talis gratia in sua substantia et gradu supernaturalis non sit. Quia non potuit Deus, juxta debitum providentiæ modum, hominem creare omni auxilio, necessario ad bene operandum, destitutum; si ergo tale auxilium est vera gratia, necessitate quadam debiti connaturalis connexa est creatio talis naturæ cum providentiâ gratiæ: ergo non potuit in dietis statibus creari sine alicujus gratiæ adjectione seu provisione.

10. *Negativa pars quaestionem solvit.* — Ego vero fundamentum illud falsum esse censeo, ideoque absolute assero potuisse naturam humanam creari, seclusa speciali providentiâ alicujus propriæ gratiæ; maxime vero in natura integra, quia sufficiens principium est ad operandum multo tempore honeste, sine peccato, cum communi cursu naturæ sic institutæ, et cum concursu primæ causæ. Nam, seclusa integritate, specialior providentiâ Dei esset necessaria ad constanter honeste operandum; tamen etiam illa non mereretur propriam gratiæ appellationem, ut capite sequenti attingam, et in sequenti libro latius dicetur; ibi enim fundamenta et principia utriusque sententiæ expendenda sunt, et ideo nunc longiori hujus puncti disputatione supersedeo.

CAPUT VI.

QUI ET QUALIS SIT STATUS HOMINIS IN NATURA LAPSA?

1. *Homo a lethali culpa duntaxat lapsus denominatur.* — Supponimus hominem non denominari lapsum, nisi ab aliqua culpa, seu peccato, quia sola culpa aufert innocentiam ab homine, et constituit illum in quodam deteriori statu quam in prima sua conditione habuerit, et ideo per solam culpam tolli dicitur. Imo non quælibet culpa appellatur simpliciter lapsus hominis, seu constituit illum in statu naturæ lapsæ, sed talem esse oportet, ut per illam avertatur a Deo, ultimo fine suo, indignusque ipsius amicitia ac æterna beatitudine fiat, quod facit solum peccatum mortale. Veniale enim, sicut non est peccatum, nisi secundum quid, ita non esset sufficiens ad hunc statum naturæ lapsæ constituendum: status ergo naturæ lapsæ idem est quod status ex peccato contractus.

2. *Naturæ lapsæ status inveniri potest in homine, qui jam conditus fuisset in quovis statu ex prædictis.* — Unde fit hunc statum non tantum in homine ordinato ad finem supernaturalem, vel prius creato in justitia seu integritate naturæ, sed etiam in homine creato in puris naturalibus inveniri posse, quia peccare posset, ut per se constat. Tunc autem homo lapsus post statum puræ naturæ non differret a seipso in amissione alicujus doni superantis naturam, sed tantum in additione culpæ, et obliquitatis rectæ rationis, ut capite sequenti declarabimus. Posset etiam alia conditio in eo notari, quod ille lapsus ho-

minis, in pura natura constituti, esset personalis tantum, non capitalis, seu totius naturæ, quia hoc requirit aliquem statum ultra exigentiam naturæ. Quin potius hæc proprietas etiam in homine constituto in natura integra, sive ordinato, sive non ordinato ad finem supernaturalem, inveniri posset. Denique posset reperiri in una, vel altera persona humana, et non in aliis. Quia si solum concederetur homo ut privata persona, lapsus ejus esset personalis tantum, sicut in angelis uniuscujusque lapsus personalis tantum fuit. In hoc ergo differt lapsus Adami ab illo quem in tali homine considerare possumus, quia lapsus Adæ non tantum fuit personalis, sed etiam capitalis, quia fuit in illo non tantum ut persona privata, sed etiam ut in capite totius naturæ, ita constituto ex speciali ordinatione divina, et ideo lapsus ejus fuit lapsus totius humanæ naturæ. Atque hoc modo sumitur in hac materia, quoties de homine lapso sermo est.

3. *Lapsus totius humanæ naturæ quis dicitur.* — Præterea, considerandum est hominem constitutum in natura lapsa hoc posteriori modo, et prout de facto talis status introductus est, dupliciter spectari posse, primo, secundum illum statum, in quo relictus est ex vi peccati originalis, vel solius, vel cum aliis personalibus culpis; secundo, ut jam est sanatus per gratiam. Nam sicut supra distinximus statum gratiæ, ita hic distinguere possumus statum naturæ lapsæ. Duobus enim modis dicitur esse homo in tali statu; primo, quia secundum præsentem justitiam est in statu peccati, sive actualis, sive habitualis, vel originalis: secundo, quia propter peccatum præcedens caret originali justitia et integritate naturæ, licet fortasse secundum præsentem justitiam sit in statu gratiæ, et hæc posterior acceptio est maxime usitata, et in sequentibus illa frequenter utemur, distinguendo hominem lapsum, in peccatorem et justum; hæc enim distinctio locum non haberet, si status naturæ lapsæ semper includeret statum peccati vel culpæ in homine permanentis. Non ergo illum includit, sed defectum integritatis naturæ, qui ex culpa aliquo modo propria præcesserit.

4. *Orbatus fuit Adam, et posteri ob lapsum, omnibus prærogativis status originalis justitiæ, et gratiæ etiam.* — Omisso ergo pro nunc statu naturæ lapsæ jam reparatæ per gratiam, de quo postea late dicendum est, de ipso statu naturæ lapsæ secundum se unum est certum, nimirum, ex vi hujus lapsus, tam primum